Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40507
Copyright: Melk, Benediktinerstift

pulchra est

non ideo iusti dei leges omnia bene ordinantis
effugit. Quia sicut pictura cum colore nigro loco
al' possit — suo posito, ita universitas rerum si quis intueri
volunt: etiam cum peccatoribus pulchra est. quamvis ipsos per
se consideratos sua deformitas deturpet.
Item in libro de natura boni. Malum bene ordinat, ut
eminentius commendet bona. Item ordinatio
multum valet ad fortitudinem. Anima bene
ordinata terribilis est hostibus suis, scilicet demo-
nibus et viciis, ut castrorum acies ordinata.
Cantica vi°. Exercitus inordinatus facile vincitur,
ordinatus vero ab hostibus timetur. Proverbiorum xx°.
Cum dispositione initur bellum. Anima or-
dinem suum servans, cum sit proxima altissimo,
est valde in eminentissimo loco hostibus suis
superior, ideo non timet eos. David. Et inimi-
cos meos despexit oculus meus. Boecius in
libro consolationis. Mali etiam decipiendas multi-
les sarcinulas occupantur, boni autem desuper
irrident vilissima quaeque rapientes. Secunda
pars huius libri de ordine hominis quantum ad a-
C. ii. Sequitur de divisi- ctum cogitandi.
tatibus ordinationum. Et nondum quia ordinande
sunt vires animae ordinande sunt etiam virtutes. Providenda est ordi-
natio et respectu temporum et respectu locorum. In or-
dinatione animae quantum ad vires primo inten-
dendum est ordinationi rationis, quia cum ratio ordi-
nata fuerit, ipsa vires alias ordinabit. Ad
ordinationem rationis pertinet ut eius operatio
actus aliarum virium excedat. Bernardus in libro de
consideratione. Non te totum semper des actioni,
sed considerationi aliquid tui et cordis et temporis se-
questra. Consideratio ipsius actionis partes be-
nigna presumptione suas facit, preagendo
quodammodo et preordinando que agenda sunt, necto
sane, ne forte que premissa et premeditata po-
terant esse profitua, precipitata magis periculosa
fiant. Item ad rationis ordinationem pertinet ut
super verbis dei sibi prius amplius quam alteri inten-
dat. Bernardus in libro de consideratione. A te tua
consideratio inchoet, ne frustra extendaris
te neglecto. Quid tibi prodest si universum
mundum lucreris, te unum perdas. Noveris licet
omnia misteria, noveris lata terre, alta celi, pro-
funda maris, si te nescieris, eris similis
edificanti sine fundamento, ruinam non stru-
cturam faciens. Non est sapiens, qui sibi

non est sapiens. A te incipiat tua consideratio,
Non solum autem, sed et in te finiatur. Tu primus tibi,
tu ultimus. Consideratio sic progrediatur ut non egre-
diatur, sic exeat ut non deserat. In acquisitione
salutis te nemo tibi germanior. In libro de
xii solilo. Egregium instrumentum corporis oculus,
sic cetera sic etiam seipsum si posset videret. Ecce
cum interiori oculo concessum sit, si ad exterioris
exemplum seipsum negligens vacat circa
aliena, cum multum vult, non sufficiat redire
ad seipsum. Tibi vacat multa tua, ipse tibi
solitudinis materia es. Pertinet etiam ad rationis
ordinationem ut super verbis dei prius audiat quam do-
cere presumat, prius ea que in doctrina fidei si-
bi apposita sunt prudenter intelligat, ut qua-
lia sibi apposita sunt post preparare studeat.
Ecclesiastici xxxii°. Audi tacens, et pro reverentia ac-
cedet tibi gratia. Ordinanda vero est quantum ad
actum cogitandi, inquirendi, iudicandi, memo-
randi, interpretandi seu loquendi. Quantum ad a-
ctum cogitandi ordinanda est ratio ut non solum
cogitationes pravas, sed etiam ociosas caveat,
cogitationibus vero ad usum vite vel ad cultum
dei pertinentibus intendat. Ordinatio rationis
quantum ad actum cogitandi multum dependet ex
dispositione voluntatis. In libro de xii soli. Vo-
luntas in omni cogitatione princeps est, et initio
principium voluntatis sequitur omnis tenor cogita-
tionis. Tria namque sunt que cogitationem faciunt: vo-
luntas, ipsa memoria et intellectus. Volun-
tas cogit memoriam ut proferat materiam, cogit
intellectum ad formandum quod profert. In eodem.
Cogitationum alie bone et sancte et ~~digne deo~~, alie — // digne deo
male et prave que separant a deo, alie ociose et
vane a quibus aufert se deus. Hinc etenim dicitur
quia perverse cogitationes separent a deo, et quia spiritus
sanctus aufert se a cogitationibus que sunt sine intel-
lectu. Sap. i°. Intellectus ipse est qui quocumque seu in
bonum seu in malum applicatus fuerit, naturaliter viget,
sed aliquando invenitur sibi relictus, aliquando a gratia illuminatus.
Ille seculi rebus et servis et migratoriis se non
negat, hic non nisi dignis rebus seipsum accomo-
dat. Ille sepe operatur sic sibi relictus et viciorum in-
fectus ex vicio rationis et vicio corrupte volun-
tatis texens pravas cogitationes, quibus seipsum
qui cogitat sponte separat a deo. Hic autem sic
illuminatus et virtuti affectus operatur pietatem, que co-
gitantem coniungit deo. Cogitationes sine intel- — 2
lectu ipse sunt vane inique et ociose. neutro intel-